INDEX LECTIONVM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLXXXIII

AB DIE XVI M. APRILIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABENDARVM.

OBSERVATIONES CRITICAS IN ATHENAEVM

PRAEMISIT

GEORGIVS KAIBEL.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

Quod Franciscus Volcmarus Fritzsche collega venerabilis per magnam annorum seriem facere consuevit, ut vos, commilitones humanissimi, brevi praemissa disputatiuncula philologa invitaret ad gustandas dapes opiparas ex omni omnium doctrinarum circuitu conquisitas, hoc ego nunc, dum ille debito otio non sine Musis fruetur, faciendum in me recepi. Quod proludendi munus qui factum sit ut philologis potissimum obtingeret nec vos fugit qui temporum praeteritorum historiam probe cognitam habeatis, neque huius loci est denuo enarrare. In arte critica quod haec prooemia versari soleant, nemo erit vestrum qui miretur neque quisquam indignabitur quod tam variis tamque gravibus rebus per lectionum tabulas vobis propositis brevem levidensis argumenti commentariolum praemittamus; quasi vos ignoretis artem criticam in pusillis pariter atque in summis rebus exercendam non grammaticorum vel si hoc honorificentius est philologorum propriam esse sed communem omnibus qui quidem altioribus studiis sese dederunt. An quid interesse putabitis cum alii in herbis plantisque, in minutissimis animalibus, in corpore denique humano quid ex naturae legibus quidve contra acciderit investigare studeant, alii in libris ex longinqua antiquitate nobis traditis quaerant quid ex usu linguae factum sit quidve contra factum videatur? universa haec lex est omnis scientiae ut ne pusilla quidem contemnamus: nam quis est quin saepe ex levissimis causis gravissima effici viderit!

Athenaei Naucratitae Deipnosophistas qui vocantur ad unius codicis Marciani fidem recensendos et emendandos esse iam nemo opinor est quin concedat; nec minus constat reliquos codices omnes quotquot aut olim fuerunt aut etiam nunc supersunt ex uno exemplo descriptos esse eoque ex Marciano libro derivato. Sufficit ne quae alii protulerunt argumenta luculentissima repetam unum locum monstrare adhuc neglectum ex quo quod posui clarissime appareat. Libri enim XI p. 488 b haec eduntur

οἱ μὲν οὖν λέγουσιν ἔξωθεν δεῖν ἐμπείρεσθαι τοὺς
χρυσοῦς ἥλους τῷ ἀργυρῷ ἐκπώματι κατὰ τὸν τῆς
ἐμπαιστικῆς τέχνης * *

Damnum reparari posse putarunt ex quibusdam Casauboni codicibus, qui κατὰ τρόπον τὸν τῆς ἐμπαιστικῆς τέχνης haberent. Hi codices quales fuerint nec scio nec scire laboro, nam arguit vitium grammaticum interpolatorem, et prudentius egit Dindorfius qui lacunam notaret quam Schweighaeuserus qui κατὰ τὸν τῆς ἐμπαιστικῆς τέχνης τρόπον correcto vitio foedissimo ‚non sine dubitationis', ut ipse ait, ‚significatione' scriberet. Iam vero quid Marcianus? adfirmat Schweighaeuserus deesse vocabulum τρόπον silentio scilicet ut saepius filii confisus qui codicem in patris usum contulerat, neque errorem correxit qui Dindorfii gratia denuo codicem tractavit (cf. *Philolog.* vol. XXX). Legitur enim in Marciano scriptura plana et perspicua id quod solum requiritur κατὰ τὸν τῆς ἐμπαιστικῆς τέχνης λόγον. Quod vocabulum quo tandem modo in omnibus apographis excidisse putabimus nisi omnibus ex uno exemplo descriptis? unus aliquando erravit librarius, inde obsedit idem error reliquos omnes.

Praeter codicem Marcianum interdum auxilii aliquid ex epitome peti potest, quae ante Eustathii aetatem facta est ad exemplum Marciano simillimum; attamen summopere cavendum est ne nimium huic socio tribuamus, qui quae singularia habet non omnia haec ad meliorem lectionem, quaedam certissima ratione ad interpolatoris fraudem referenda sunt. Paucis defungar exemplis.

V 219 a τῶν ἐν Βάκτροις καὶ μήδων A καμήλων corr. Boisson. καὶ Μήδοις C.

VII 275 b διὰ τὸ σφόδρα μοι εἶναι προσφιλῆ A τὸν Κλέαρχον addidit C contra sententiam.

XV 694 b τὸ δὲ τοιοῦτον ᾖδετο ὁπότε τὰ κοινὰ καὶ πᾶσιν ἀναγκαῖα τέλος λάβοιεν ταῦτα γὰρ ἤδη τῶν σοφῶν ἕκαστον ᾠδήν τινα καλὴν εἰς μέσον ἠξίουν προσφέρειν A. Pro ταῦτα quid opus esset intellexit C cum scriberet τηνικαῦτα, verum tamen est quod etiam Cobetum invenisse video τέλος λάβοι· ἐνταῦθα γὰρ κτλ'.

Hac igitur epitome non aliter utemur ac sociis solemus male fidis uti, quibus pugnandi potestatem non dabimus nisi ubi fraudulenter agendi locus non est. Eo diligentius vero quid ex Marciano libro lucremur observandum est, qui quamvis erroribus haud immunis tamen quam accuratissimam vetustioris exempli imaginem repraesentavit. Docent hoc plurima vitia ex litteris uncialibus facile inter se confusis nata, docet etiam aliud quoddam corruptelarum genus, de quo hoc loco paucis disputare licebit. Accidit enim saepius ut in vetustiore aliquo codice varia lectio sive in margine adscriberetur sive inter versus superscriberetur; ex hoc codice qui novum exemplum transscripsit non alteram utram eligendam sibi existimavit lectionem sed utramque pariter transscribendam curavit ita ut iam continuis litteris altera iuxta alteram posita appareret. Singularis huius accurationis ac religionis exempla permulta supersunt in libro Marciano, e quibus haece promam:

IV 132 f v. 7 sq. τὰς δ' ὀνθυλεύσεις καὶ τὰ κεκαρυκευμένα | μᾶλλον προσεδέξατ' χεται propter tot quae circa sunt tempora praesentia etiam hoc loco aliquis numerorum incuriosus προσδέχεται potius quam προσεδέξατο opus esse putavit.

IV 173 a καλοῦνται δὲ καὶ μέχρι νῦν τινες αὐτῶν Χοίρακοι καὶ Ἀμνοὶ καὶ Ἀρτυσίλαοιεω καὶ Σήσαμοι κτλ'.

iuxta igitur scripta forma vulgaris Ἀρτυσίλαοι et attica Ἀρτυσίλεῳ. Verba sunt Apollodori Atheniensis.

IV 182 d ὡς Ἀναλεξανδρίδης ἐν Ὁπλομάχῳ φησί. dubius haerebat aliquis Alexandridam an Anaxandridam nominaret Hoplomachi fabulae poetam. Variam lectionem ipse Athenaeus invenisse videtur, si quidem XIV 634 e ubi idem versiculus affertur nulla lectionis discrepantia legitur ὡς Ἀλεξανδρίδης ἐν Ὁπλομάχῳ φησίν.

V 191 b in Homeri versu (δ 126) Ἀλκιανδρίππη (sic) Πολύβοιο δάμαρ. in unum coniuncta sunt nomina Ἀλκάνδρη et Ἀλκίππη, quod alterum paullo ante (v. 124) legitur.

V 217 d εἰδέναι εἰ δὲ νεωστὶ τετελεύτηκε. nihil inter se differunt ειδεναι et ειδενε.

XI 475 a in Sophoclis fragmento ἀμφὶ σιτία τὰ καὶ καρχήσια. Non est articulus syllaba τὰ licet accentu instructa in codice Marciano, sed est emendatio syllabarum praecedentium τια; vera enim lectio quam invenit Porsonus quamque habet Macrobius (V 21, 6) est ἀμφὶ σῖτα καὶ καρχήσια.

XIII 581 d in Machonis fragmento (v. 27) ἐν σκυτοτομιωνι (sic) μετά τινων καθήμενος. Monstrum vocabuli duplex lectio procreaverat σκυτομίων (quod natum ex sequenti τινῶν) et σκυτοτομίωι. Correxit Porsonus.

XIII 573 e corrupte traditur Pindari fragmentum (122 Bgk [4]), ubi v. 3 Marcianus liber διαιτε (non διά τε) τὰς χειρας λιβάνου ξάνθα δάκρυα κτλ'. Reliqua nunc non curo, sed apertum est ΔΙ et ΑΙ duplicem esse lectionem, falsam priorem, veram alteram.

XIV 635 a Θεόφιλος δ' ὁ κωμωδικός, unde ὁ κωμῳδιοποιός Schweighaeuserus parum probabiliter, quoniam unde terminatio -ικός adfluxerit non intellegitur. Coeperat librarius scribere vocabulum κωμῳδιοποιός, sed intellectum errorem statim correxit et scripsit quod debuit ὁ κωμικός. Fatendum paullo aliter hoc exemplum comparatum esse, incertum enim num duplicem ante oculos habuerit lectionem librarius.

Hoc igitur usu observato emendari poterit locus XV p. 689 b. Ex Apollonii Herophili discipuli libro περὶ μύρων narrantur urbes quaedam olim suis quaeque unguentis famosae fuisse, e quibus ultimo loco Pergamum memoratur: ἐν δὲ Περγάμῳ πρότερον μὲν ἐξοχή (ἐξόχη codex; an ἐξόχως?), νῦν δ'οὔ, μυρεψοῦ τινος ἐκπονήσαντος, τὸ παρ' οὐδενί πω γεγονὸς ἐσκευάσθη τὸ λιβανώτινον μύρον. Duplici vitio extrema laborant; nec aoristus ἐσκευάσθη ferri potest, ut docent quattuor quae praecedunt imperfecta (nam etiam paullo ante ex Wilamowitzii coniectura ἤκμαζε scribendum pro ἤκμασε), neque qui sequitur articulus τό. Utrumque uno velut ictu profligaverimus cum scribemus ἐσκευάζετο. Fuit in archetypo ἐσκευάσθη ζετο, quod librarius aliquis paullo neglegentius transscripsit.

Eadem emendandi ratione Epilyci comici fragmento vitium eximi potest. Leguntur versus ex Coralisco fabula petiti apud Athenaeum IV p. 140 quattuor anapaestici, quibus agitur de coena quadam apud Lacedaemonios per Hyacinthiorum dies celebrata, cui nomen erat κοπίς. Sic scriptum in codice vidi τῆς δὲ κοπίδος μνημονεύει καὶ Ἀριστοφάνης ἢ Φιλύλλιος ἐν ταῖς Πόλεσιν Ἐπίλυκός τε ἐν Κωραλίσκῳ λέγων οὕτως· ποτταν- κοπιδ' οιωσωμ' αἰὲν ἀμυκλαῖον παραγγέλλωσι βαρακες πολλὰ οἱ καρτα καὶ δωδεμοστοι μάλα ἀδύς. Primum versum restituit Bergkius (*comment. de reliq. comoed. att. antiq.* p. 431 sqq.)

ποττὰν κοπίδ', οἰῶ, σῶμαι

alterum ex Ahrensii coniectura edidit Kockius (*fragm. comic.* p. 803) hunc

ἐν Ἀμύκλαισιν παρ' Ἀπέλλω,

quae non uno nomine displicent; sed mitto haec ut ad reliqua properem, quae sic edi solent

βάρακες πολλοὶ κἄρτοι
καὶ δωμός τοι μάλα ἀδύς.

describitur igitur qualis coena illa fuerit: βάρακας Didymus, cuius ex commentariis haec Athenaeus rettulit, explicat μάζας, nec scire interest num rectius Lycophron τολύπας aut Eratosthenes τὰ προφυράματα τῶν μαζῶν intellexerit. Dubito vero num recte scripserint βάρακες πολλοί, si quidem in Didymi verbis feminino genere vocabulum utitur τοῦτο γὰρ αἱ (sic codex, editur οἱ) βάρακες δηλοῦσιν. Atque hoc ipsum videtur significare in Epilyci verbis codicis scriptura βάρακες πολλὰ οἱ, ubi duplicem lectionem agnoscetis πολλαὶ et πολλοὶ, veram priore, altero loco falsam positam. Idem factum puto in vocabulo δωμός i. e. ζωμός (cf. Etymol. M. 316, 56). Nam scriptura codicis δωδεμος ni fallor duas lectiones in unam confusas exhibet, alteram δωμός alteram δσωμός. Nam δε nihil est nisi δσ.

Peculiarem sibi locum postulant nomina propria in quibus saepius titubare solebant scribae. Levi errore VI 249 d legitur περὶ δὲ Ἡγησίου Νικησίου τοῦ Ἀλεξάνδρου κόλακος Ἡγήσανδρος τάδ' ἱστορεῖ κτλ'. Nicesiam illi nomen fuisse certum est ex eis quae secuntur; Hegesias fortasse ex Hegesandri nomine ortum. Item V 215 c περὶ ὧν Δημοχάρης κράτης ἔλεγεν, sequitur Democharis de Socrate dictum, cf. p. 187 d. Musurus hinc δημοχάρης ἢ κράτης effecit noto non illius tantum saeculi more; plane enim idem factum videmus in ipso codice Marciano VII 313 f Λυγκεὺς δ' ὁ Σάμιος ἐν τῇ ὀψωνητικῇ τέχνῃ, ἣν προσεφώνησέ τινι τῶν ἑταίρων δύσωνι ἢ ζήνωνι. Veram lectionem δυσώνῃ Casaubonus restituit coll. VI 228 c. Librarius autem δύσωνι tamquam nomen proprium interpretatus adscripsit quod ad litteras parum simile, ad sensum tamen aptum videretur Zenonis nomen inserta ἢ particula. Utar hoc ad confirmandam coniecturam quam a Meinekio occupatam vidi. XIII 593 f ἡ δὲ Νέαιρα ἦν Στρατοκλείδου ἐρωμένη Ξενοκλείδου. De Stratoclida Neaerae amatore nihil habet is cuius ex oratione in Neaeram haec omnia derivata sunt. Recte igitur Meinekius expellendum nomen errore ortum, recipiendum solum nomen Ξενοκλείδου dixit in Anal. crit. p. 278. Fortasse olim fuit ἢ Ξενοκλείδου, sed fit etiam hoc ut nulla addita particula duo nomina iuxta ponantur; cf. XII 516 c ubi inter eos qui ὀψαρτυτικὰ composuerunt nominantur Στέφανος Ἀρχύτας Ἀκέστιος Ἀκεσίας Διοκλῆς Φιλιστίων. Incredibile est Acestium et Acesiam duos homines fuisse nobis ceteroqui plane ignotos et nomine et arte similes. Recte diversas eiusdem nominis formas esse statuit Meinekius, sed quod coniecit aut alterum delendum aut ἢ particulam interponendam esse, horum prius tantum verum est. Nam Ἀκέστιος vix unquam graecum nomen fuit, quandoquidem ad quem provocat Meinekius Pausanias I 36 non Ἀκέστιον virum sed Ἀκέστιον mulierem nominat. Sine dubio igitur Ἀκεσίας emendata est corrupti nominis Ἀκέστιος lectio.

Sed haec ut mittamus duo potissimum sunt, quae ad corrumpenda codicis Marciani verba contulerint, alterum hoc quod litterae vetustae scripturae formis inter se similes permutabantur alterum illud quod inter vocales recentiore pronuntiandi more fere congruas non bene distinguebatur. Utrumque corruptionis genus magna praeclarissimarum emendationum multitudine inlustraverunt qui antehac Athenaeo emendando operam impenderunt. Tollere potuerant etiam plura si melius cognitam habuissent singularem codicis praestantiam aut accuratius enotatam vel levissimam scripturae ex eo discrepantiam. De multis nunc pauca proferam.

XIV 658 c d ἐπεὶ δὲ περὶ πάντων εἰπὼν τῶν παρακειμένων ἀποτράγημα πεποίημαι τὸν Τρομιλικόν, καταπαύσω τὸν λόγον. Sic edunt ex apographis ut videtur, quorum tamen unum P non εἰπών sed εἶπον habere narratur. Marcianus autem non solum εἶπον exhibet sed etiam ἀποτράγημαι ἐπεποίημαι, unde quid Athenaeum scripsisse putabimus nisi hoc εἶπον — ἀποτράγημά τε πεποίημαι. — Data occasione moneo inconsideratius Meinekium in proxime sequentibus Athenaei verbis bis scripsisse ἀποπάτημα pro eo quod traditur ἀποτράγημα. Nam etsi Eupolidem certum est ἀποπάτημα scripsisse, tamen Athenaeus nisi in eo quo utebatur exemplo Eupolideo invenisset leviter corruptam ἀποτράγημα scripturam omnino ad hunc modum loqui non potuit.

XIV 657 e de pernarum petasonumque praestantia agitur: κάλλισται μὲν γὰρ αἱ Γαλατικαὶ καὶ οὐκ ἀπολείπονται δὲ αὐτῶν οὔτε ⟨αἱ⟩ ἀπὸ Κιβύρας τῆς Ἀσιατικῆς οὔτε αἱ Λύκιαι.

sic edunt securi de perverso dicendi genere quo μέν et καὶ — δέ inter se opponuntur. Codex vero habet αἱ γαλαῖ καὶ οὐκ κτλ'. estne hoc apertum Athenaeum scripsisse

κάλλισται μὲν γὰρ αἱ Γαλλικαί, οὐκ ἀπολείπονται δέ κτλ'.

Pessime corrupta sunt quaecunque de saltationis variis generibus leguntur inde ab XIV 629 a, in quibus quales quantaeque turbae factae sint — neque hoc librariorum tantum incuria, opinor — intellegetis ubi quae Pollux IV 99—105 composuit comparaveritis. Haec autem cum vestrae diligentiae, commilitones, emaculanda commendem, ego nunc satis habeo leve quoddam mendum tollere ad eam quam supra indicavi rationem.

XIV 629 d τὰ δὲ στασιμώτερα καὶ ποικιλώτερα καὶ τὴν ὄρχησιν ἁπλουστέραν ἔχοντα καλεῖται δάκτυλοι κτλ'. Sequitur saltationum variarum tabula, quae minime omnes ad simpliciorum genus pertinent; non tango has turbas, sed moneo illud sicinnidem Persicam mihi non videri unquam fuisse: scribendum non σίκιννις Περσική, sed σίκιννις, Περσική, et de persica saltatione vide Pollucis verba l. s. 100. Iam vero in eis quae exscripsi ποικιλώτερα vocabulum pugnare cum mente scriptoris facile est ad intellegendum. Contrarium requiritur, nec tamen quod Coraes olim excogitaverat cuiquam placebit. Scribendum puto πυκνότερα, in quo nihil nisi ΛΙ in Ν mutavi, υ autem pro οι reposui. Non opus erit hanc alteram emendationis partem munire exemplis; unum tamen commemorabo ex Hermesianactis elegis sumptum (Ath. XIII 597 b), ubi v. 13 traditam lectionem quae est ἔνθεν λυδιάων μεγάλους ἀνέπεισεν ἄνακτας egregie iam Musurus sive de sua sive ex librarii alicuius coniectura emendaverat ἔνθεν ἀοιδιάων κτλ'.

Addo alia quaedam ab eis quidem quae hucusque tractavi diversa sed quae quam acriter codicis optimi vestigiis insistendum sit doceant.

XIII 610 a haec ex Theophrasto referuntur ἐνιαχοῦ δὲ καὶ κρίσεις (κρίσις codex, sed in margine ab eadem manu ει) γυναικῶν περὶ σωφροσύνης γίνεσθαι καὶ οἰκονομίας, ὥσπερ ἐν τοῖς βαρβάροις· ἑτέρωθι δὲ κάλλους, ὡς δέον καὶ τοῦτο τιμᾶσθαι, καθάπερ καὶ παρὰ Τενεδίοις καὶ Λεσβίοις. ταύτην δὲ τύχης ἢ φύσεως εἶναι τιμήν, δέον (δενεον cod. correxi cum Musuro et distinxi post τιμήν) προκεῖσθαι σωφροσύνης. τὸ κάλλος γὰρ οὕτως καλόν· εἰ δὲ μή, κίνδυνον ἔσχον ἐπ' ἀκολασίαν. Non recte ex apographis ἔσχεν scribunt: verum est ἔχον, quod unice dignum conciso Theophrasti Clearchi aliorum dicendi genere.

Facilius etiam alius locus sanabitur Dicaearchi apud Athenaeum servatus XIII 594 f. De sumptuosissimo Pythionicae meretrici ab Harpalo exstructo monumento agitur. Quo conspecto aliquis Athenas ingressus τὸ μὲν πρῶτον ὅπερ εἰκὸς ἢ Μιλτιάδου φήσει (cod. φήσειε, corr. Mein.) σαφῶς ἢ Περικλέους ἢ Κίμωνος ἤ τινος ἑτέρου τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν εἶναι, μάλιστα μὲν ὑπὸ τῆς πόλεως δημοσίᾳ κατεσκευασμένον, εἰ δὲ μή, δεδογμένον κατασκευάσασθαι· πάλιν δ' ὅταν ἐξετάσῃ Πυθιονίκης τῆς ἑταίρας ὄντινα χρὴ προσδοκίαν λαβεῖν αὐτόν. Sic codex Marcianus habet, quod cum ignoraret probavit Dindorfius interpolatam lectionem nescio unde acceptam ἥντινα χρὴ προσδοκίαν κτλ'. Haesit Meinekius et *in libris nihil auxilii* esse ratus scribendum esse edixit ὅταν ἐξετάσῃ Πυθιονίκης τῆς ἑταίρας εἶναι, τίνα χρή κτλ'. Certiorem sibi opem ex codice B comparare potuit, cuius librarius religiose ut assolet Marciani vestigia premens ὅν τινα χρὴ scripsit. Manifestum enim Dicaearchum scripsisse ὅταν ἐξετάσῃ Πυθιονίκης τῆς ἑταίρας ὄν, τίνα χρὴ κτλ'.

XII 549 e f Ptolemaeus rex septimus Aegyptiorum narrat cum antea in Artemisiis Cyrenaeorum Apollinis sacerdos eos quibus in sacerdotio successisset convivii apparatu satis tenui excipere consuesset, se ipsum illo sacerdotio suscepto apparatum ad summam luxuriam auxisse: ἡμεῖς δέ, inquit, περιειλόμεθα τὰ τοιαῦτα. In his verbis nihil est quod vituperes, sed περιειλόμεθα Musuro debetur, τὰ articulus in sola epitome reperitur; codex habet περιειλόμενα τοιαῦτα, unde certo certius est scriptum fuisse περιείλομεν τὰ τοιαῦτα.

His atque aliis plurimis quamquam optima Marciani libri fides comprobetur, tamen non desunt quae mala manu interpolata exstirpanda sint. Quis enim dubitabit in Archestrati versu (III 117 a), qui sic habet in codice

ἀνθρώπων ὅτι φαῦλον ἔφυ καὶ ἀκιδνὸν κενεόντε ἔδεσμα,

recte deleta esse a Musuro verba κενεόν τε? quis in Menandri fragmento (IV 132 e), ubi in codice scribitur versu pessumdato

οἷον τὰ μὲν νησιωτικὰ ταῦτα ξενύδρια,

dubitabit cum Grotio μὲν particulam eicere ab grammatico aliquo adiectam ut opposita inter se orationis membra planius perspici possent? similia multa inveniuntur interpretamenta adscripta, e quibus unum nunc conabor tollere. Leguntur haec XV 687 b ex Clearcho sumpta:

> Παρράσιος δὲ ὁ ζωγράφος καίπερ παρὰ μέλος ὑπὲρ τὴν ἑαυτοῦ τέχνην τρυφήσας καὶ τὸ λεγόμενον ἐλευθέριον ἐκ ῥαβδίων ἔκ τινων ποτηρίων ἑλκύσας λόγῳ γοῦν ἀντελάβετο τῆς ἀρετῆς, ἐπιγραψάμενος τοῖς ἐν Λίνδῳ πᾶσιν αὐτοῦ ἔργοις
>
> ἁβροδίαιτος ἀνὴρ ἀρετήν τε σέβων τάδ' ἔγραψεν
>
> Παρράσιος·
>
> ᾧ κομψός τις, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ὑπεραλγήσας ῥυπαίνοντι τὸ τῆς ἀρετῆς ἁβρὸν καὶ καλόν, ἅτε φορτικῶς μετακαλεσαμένῳ εἰς τρυφὴν τὴν δοθεῖσαν (cod. τὴν εἰς τρ. δοθ. corr. Coraes) ὑπὸ τῆς τύχης χορηγίαν παρέγραψε τὸ 'ῥαβδοδίαιτος ἀνήρ'.

In his τὸ λεγόμενον ἐλευθέριον quid sit non obscurum est; bibunt τὸ ἐλευθέριον ὕδωρ servi manu missi, cf. Hesychii glossa ad ἐλευθέριον ὕδωρ, ubi Schmidtius neglexit verissimam Meinekii emendationem *Fragm. com.* III p. 12. Hoc proverbium sensu paullulum mutato Clearchus ita in Parrhasium transtulit ut eum non libertatem iactasse diceret sed animum liberalem. Aquam autem liberalem non ex fonte Argivo hausit sed tamquam ex penicillis (neque enim videntur ῥαβδία aliter intellegi posse) hausisse dicitur, sua scilicet arte nimis superbiens. Iam vero Dindorfius quid profecerit deleta ἐκ praepositione scribens καὶ τὸ λεγόμενον ἐλευθέριον ἐκ ῥαβδίων τινῶν ποτηρίων ἑλκύσας, plane non assequor. Prudentius Meinekius ὡς ἔκ τινων ποτηρίων coniecit, sed verum ne hoc quidem videtur, si quidem servi non ex poculis sed ex fonte τὸ ἐλευθέριον ὕδωρ haurire solebant, ut taceam τινῶν pronomen locum omnino non habere. Mihi videtur ineptum esse grammatici additamentum, qui cum non intellegeret Clearchi sensum ῥαβδία interpretatus est ποτήρια.

Denique ad ultima codicis folia devertor quorum ex scriptura partim mutilata partim pessime habita post Cobetum Rudolfus Schoell (*Hermae* IV 166 sqq.) peritissime et acutissime haud pauca vel primus expedivit vel aliis melius legit. Mihi cum praesertim Venetiis nuper degenti raro sereni soles fulgerent non fere contigit ut plura dispicerem Schoellio, plura tamen quae ille legit mihi nisi eius apographo adhibito ne apparebant quidem.

Certum est quod legi in Pherecratis fragmento XV 698 f: Φερεκράτης Δουλοδιδασκάλωι·

ἄνυσόν ποτ' ἐξελθών· κρότος γὰρ γίνε[νε]ται·
καὶ τὸν λυχνοῦχον ἔκφερ' ἐνθεὶς τὸν λύχνον.

legebatur σκότος γὰρ γίνεται. Sic melius intellegitur quid rei agatur: pulsavit aliquis fores, et servus iubetur cum face prodire ut aperiat.

Paullo post legi non ἐνμήδης sed Εὐμήδης ἐν Σφαττομένῳ, cuius fabulae qui citatur versus, eum sic legit Schoellius: ηγουμενην

δε. υ̉χνον εἰστοπρόσθἰδὼν

videtur etiam hoc loco servus compellari:

ἡγοῦ μέν· ἣν δὲ λύχνον εἰς τὸ πρόσθ' ἰδών κτλ'.

Folii 371 pagina altera vel dextra itemque ut consentaneum est folii 371' pagina prior vel sinistra maxima ex parte abscissa est, ut in illa exordia, in hac clausulae tantummodo versuum supersint. Versus fuerunt in folio 371 unus et quadraginta, in

folio 371′ quadraginta quattuor. Non inutile fecisse videbor, cum litterarum reliquias adhuc fere neglectas huc transscripsero

XV 700 e = fol. 371
τοῦ πανοῦ [καὶ Εὐριπίδης
ἐν Ἴωνι. ἔλε[γον δὲ τοῦτον οἱ
πρὸ ἡμῶν κ[αὶ ξυλολυχνοῦ-
χον, οὗ μνημ[ονεύει Ἄλεξις
ἐν Εἰσοικιζ[ομένωι οὕτως·
ὁ δὲ ξυλο[λυχνοῦχος
πυρὸς
ṿὶ
χ
ο
κ
νc
ν . .   ἡμᾶς δ'ἀ-
πα[λλαχθέντας ἐν ἀγαθαῖς
τύχα[ις ὀβελισκολυχνίου
καὶ ξ[ιφομαχαίρας πικρᾶς
ἐπακ
επισ
ασελ
ωτι
πῶc
ṃέν
δαίμ
γωδ
ὀισπ
φη
ενc,
νειμ
απτ
700 f. Φιλύ[λλιος
π
δι
λα
φ
φ
ꓶ
ξ
δ
.
.
.

fol. 371′ . . . . ὡς ἐβάδι
μετὰ χερσὶν
δὲ τῶν ἄλλων
ἔμενον ἕν
δέοι κατα
ὅπερ ἔτι
ρων
ιη
.
.
.
.
.
.
κάν
ῇι
φησὶ
λεί
οδω
ι εἰς
ωλι
δ'ενι
-λύ
υθέ
υτί
όν
ῆς
ἐκ
ου
⊢η
χρυ
αφά
ει :
ον
υ
ξου
ει
ὰ
σ
αῖ
.
α
.
.

Ad supplendas has lacinias nihil habemus praeter brevissima epitomes verba ξυλολύχνου δὲ μέμνηται Ἄλεξις· καὶ τάχα τούτῳ ὅμοιόν ἐστι τὸ παρὰ Θεοπόμπῳ ὀβελισκολύχνιον.

Φιλύλλιος δὲ τὰς λαμπάδας δᾷδας καλεῖ. οὐ παλαιὸν δὲ εὕρ.[μ]α λύχνος· φλογὶ δ᾽οἱ παλαιοὶ τῆς τε δᾳδὸς καὶ τῶν ἄλλων ξύλων ἐχρῶντο. ʽκοιμίσαι λύχνον᾽ Φρύνιχός φησι. — v. 1 καὶ Εὐριπίδης supplevit Meinekius; arto vinculo haec cohaerent cum superioribus πρότερος δὲ τούτων Αἰσχύλος ἐν Ἀγαμέμνονι μέμνηται τοῦ πανοῦ καὶ Εὐριπίδης ἐν Ἴωνι. Quae secuntur Athenaei verba ego supplevi (ἔλει codex). V. 3 καὶ et v. 5 οὕτως ego addidi ut litterarum numerum iustum explerem (nam vicenae vel vicenae binae trinaeve litterae singulorum versuum fuerunt), reliqua certa sunt Meinekii supplementa. Post Alexidis memoriam sequitur in epitome Theopompi de vocabulo ὀβελισκολύχνιον testimonium. Ipsos poetae versus servavit Pollux X 118, ut dudum animadversum est; eosdem versus etiam Athenaeum adscripsisse ex paucis quae supersunt vestigiis apertum est; inde redintegravi vv. 13—16, quibus non obstabo si quis alia a Polluce omissa continuata fuisse suspicetur. Incerta sunt quae praecedunt, nisi quod vv. 11 seqq. haec scribi possunt

μνημο-
νε[ύει δὲ Θεόπομπος ἐν Εἰρή-
ν[ῃ λέγων οὑτωσί· ἡμᾶς δ᾽ κτλ᾽.

antea dicta fuerunt quae epitome sic habet καὶ τάχα τούτῳ ὅμοιόν ἐστι τὸ παρὰ Θεοπόμπῳ κτλ᾽. Versu 30 legitur Φιλύ[λλιος] nomen, quem poetam epitome testatur δᾷδας appellasse τὰς λαμπάδας.

Paginae insequentis primi versus poeticam orationem prae se ferunt ὡς ἐβάδι[ζον δᾷδας] μετὰ χεροῖν [ἔχοντες], reliqua omnia mihi obscura.

Scribebam Kalendis Ianuariis.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

Dr. Ioannes Bachmann, P. P. O., 1) privatim Psalmos interpretabitur, quinquies p. h. hora XII—I; 2) privatim Vaticinia Ioelis, Amosi, Obadiae et Michae explicabit, die Martis Mercurii Iovis et Veneris hora XI—XII; 3) privatissime sed gratis selectas Patrum latinorum conciones sacras explicandas proponet, die Merc. h. VI—VIII vesp.; 4) publice homileticas in Seminario exercitationes moderabitur, die Lunae h. VI—VIII vesp.

Dr. Augustus Guilelmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem tertiam quinquies h. IX; 2) privatim historiam doctrinae Protestantium quinquies h. X tradet, et 3) publice exercitationes catecheticas in Seminario die Sat. h. XI et h. XII moderabitur.

Dr. Ludovicus Schulze, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim encyclopaediam et methodologiam, coniunctam cum historia theologiae quinquies p. h. hora VIII—IX tradet; 2) privatim theologiam ethicam quinquies p. h. hora IX—X docebit; 3) privatissime sed gratis exercitationes dogmaticas binis p. h. scholis die Iovis h. V—VII instituet.

Carolus Fridericus Noesgen, P. P. O. des. 1) privatim epistolam Pauli ad Romanos quinquies p. h. explicabit h. def.; 2) privatim epistolas Ioanneas interpretabitur ter p. h. h. def.

In ordine iuridico.

Dr. Carolus Birkmeyer, P. P. O., h. t. Decanus, 1) ius criminale Germanicum tradet senis p. h. scholis diebus Lunae Martis Mercurii hora VIII—X; 2) conversatorium proponit de iure criminali die Iovis hora VIII—X; 3) selecta et difficiliora iuris criminalis capita tractabit die Veneris h. VIII—X.

Dr. Franciscus Bernhoeft, P. P. O., 1) institutiones iuris Romani tradet quater p. h. h. c.; 2) historiam iuris Romani docebit quater p. h. hora XII; 3) practicum quod vocant civile instituet die Martis h. V—VII.

Dr. Ioannes Merkel, P. P. O., pandectas excepto iure hereditario tractabit denis p. h. horis h. VIII—X.

Dr. Victor Ehrenberg, P. P. O., 1) ius mercaturae cum iure cambiali et maritimo tradet quinquies p. h. h. X—XI; 2) ius privatum Mecklenburgicum docebit quater p. h. diebus Lunae Martis Iovis Veneris h. XI—XII; 3) conversatorium proponit de iure mercaturae nec non de difficilioribus iuris privati doctrinis die Saturni h. X—XII.

Postremo doctus vir iure consultus, qui Guilelmo Kahl ante initium semestris aestivi succedet, ius publicum Germanicum h. c. tradet.

In ordine medico.

Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem diebus Martis Iovis Saturni h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret die Mercurii h. X; 3) exercitationes practicas in clinico medico quinis diebus h. X moderabitur.

Dr. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Iovis hora III—IV; 2) privatim physiologiae partem priorem (functiones vegetativas) quotidie hora IX—X tradet; 3) privatissime moderabitur exercitationes physiologicas per hebdomadem ternis horis.

Dr. Guilelmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam diebus Martis Iovis Saturni hora IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae Mercurii Veneris horis XII—I et dimid. moderabitur; 3) cursum operationum quae in arte ophthalmiatrica adhibentur horis postea definiendis reget.

Dr. Fridericus Schatz, P. P. O., h. t. Decanus, 1) de partu normali et enormi ter p. h. disseret hora IX; 2) operationes, quae in arte obstetricia adhibentur, ope corporum artificialium exercendas moderabitur ter p. h. hora VII; 3) in clinico gynaecologico exertitationes practicas quater p. h. hora VIII moderabitur; 4) de partubus et aegrotis policlinicis disseret p. h. hora VIII.

Dr. Fridericus Sigmundus Merkel, P. P. O., h. t. Rector, 1) anatomiae systematicae partem secundam (organa sensus, angiologiam et neurologiam) quotidie h. XII—I docebit privatim; 2) histologiam generalem una cum exercitationibus practicis quater p. h. hora XI—XII moderabitur privatim.

Dr. Albertus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam generalem quotidie hora VII docebit; 2) cursum anatomiae et histologiae pathologicae habebit cum demonstrationibus et exercitationibus cadavera rite dissecandi diebus Lunae Mercurii Veneris hora III—V; 3) exercitatiorum studia inquisitionibus microscopicis et experimentis pathologicis dicata una cum Dr. Neelsen moderabitur.

Dr. Otto Nasse, P. P. O., privatim 1) de alimentis hominum disseret die Martis h. III—V; 2) pharmacognosiam die Mercurii h. XI—I die Sarturni h. IX—XI tractabit; privatissime 3) exercitationes chemicas et ex physiologia et ex pathologia petitas in laboratorio quotidie moderabitur.

Dr. Otto Guilelmus Madelung, P. P. O., 1) chirurgiam generalem tradet diebus Lunae Mercurii Veneris h. IX—X; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico moderabitur diebus Lunae Mercurii Veneris h. XI—XII, diebus Martis Iovis Saturni h. XI et dimid.; 3) cursum operationum chirurgicarum reget quotidie h. V—VII.

Dr. Iulius Uffelmann, P. P. E., 1) infantium morbos quater per hebdomadem privatim; 2) hygienen scholarum semel per hebdomadem publice tractabit; 3) cursum theoretico-practicum hygienes ter per hebdomadem privatim et 4) cursum practicum spectroscopicum bis per hebdomadem privatim moderabitur.

Dr. Guilelmus Brummerstaedt, mulierum morbos ternis p. h. horis docebit.

Dr. Paulus Schiefferdecker, 1) exercitationes embryologicas practicas moderabitur ter per hebdom. privatim; 2) capita selecta anatomes histologiae embryologiae repetendo tractabit quater per hebdomadem privatim.

Dr. Fridericus Neelsen, 1) pathologiam et histologiam tumorum ex infectionibus orientium bis p. hebd. docebit; 2) exercitatiorum studia inquisitionibus microscopicis et experimentis pathologicis dicata una cum Dr. A. Thierfelder moderabitur.

Dr. Theodorus Gies, fracturas et luxationes bis per hebdomadem docebit.

In ordine philosophico.

Dr. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, commeatu annuo impetrato lectiones non habebit.

Dr. Ioannes Roeper, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones non habebit.

Dr. Fridericus Schirrmacher, P. P. O., privatim 1) historiam medii aevi usque ad exitum generis Staufici enarrabit quinis diebus h. XII; 2) historiam Graecorum a bello Peloponnesiaco usque ad Alexandri Magni tempora deducet binis diebus; publice 3) seminarii historici exercitationes moderari perget binis diebus.

Dr. Henricus de Stein, P. P. O., 1) religionis philosophiam ternis per hebd. diebus Lunae Martis Mercurii hora V—VI tradet; 2) historiam philosophiae recentioris, inde ab ecclesiae patribus usque ad novissima tempora deductam, quaternis per hebd. diebus Lunae Martis Mercurii Veneris hora IV—V; 3) historiam paedagogices inde ab renatis litteris usque ad novissima tempora deductam ternis per hebd. diebus Mercurii Iovis Veneris hora III—IV.

Dr. Reinholdus Bechstein, P. P. O., privatim 1) Hartmanni domini ab Aue carmen de beato Gregorio interpretabitur binis per hebd. diebus Martis et Veneris hora IX—X; 2) linguam theotiscam recentioris temporis docebit ratione potissimum habita quaestionum orthographicarum binis per hebd. diebus Martis et Veneris hora X—XI; 3) de vita et operibus poetae francogallici Molière disseret binis per hebd. diebus Martis et Veneris hora XI—XII; 4) publice exercitationes seminarii germanici moderari perget, in quo „Frauendienst“ carmen Ulrici domini ab Liechtenstein iterum tractabitur.

Dr. Oscarus Jacobsen, P. P. O., privatim 1) chemiam anorganicam quinquies p. hebd. docebit h. X; 2) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies p. hebd. moderabitur.

Dr. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem primam docebit quinquies p. h. hora VIII; 2) calculum refractionis radiorum astigmaticae et aplanaticae praecipue ad lentem crystallinam spectantem tractabit semel p. h.; 3) exercitationes physices practicae quotidianas instituet hora III; publice 4) exercitationes seminarii physicalis moderari perget die Saturni horis X et XI.

Dr. Martinus Krause, P. P. O., 1) privatim calculum differentialem et integralem docebit diebus Lunae Martis Iovis Veneris hora XII; 2) privatim introductionem in mechanicen analyticam dabit diebus Lunae Iovis hora XI; 3) privatim introductionem in theoriam superficierum tractabit diebus Martis et Veneris hora XI; 4) publice exercitationes seminarii mathematici moderabitur die Mercurii hora XI et XII.

Dr. Fridericus Philippi, P. P. O., sperat fore ut privatim vaticinia prophetarum Hoseae Ioelis Ionae Nahumi et Habacuci ter p. h. explicet.

Dr. Hermannus Paasche, P. P. O., h. t. Decanus, privatim 1) oeconomiae politicae practicam partem docebit diebus Martis Mercurii Iovis Veneris hora XII; 2) de reditibus publicis disseret diebus Martis Mercurii Iovis Veneris hora XI; 3) de pecunia et rebus creditis disseret diebus Martis et Iovis hora VI.

Dr. Eugenius Geinitz, P. P. O., 1) privatim geologiam tractabit sexies p. h. horis VII—VIII et IX—X diebus Lunae Martis et Mercurii; 2) privatim petrographiam docebit ter p. h. horis constituendis; 3) excursiones geologicas ducet die Saturni horis postmeridianis.

Dr. Georgius Kaibel, P. P. O., 1) privatim: historiam tragoediae graecae enarrabit ac Sophoclis Electram interpretabitur senis hebdomadis horis VIII—IX; 2) privatissime: Seminarii philologici exercitationes moderabitur quaternis per hebdomadem horis matutinis VII—VIII dierum Martis Mercurii Iovis Veneris. Interpretanda proponentur sodalibus Callimachi carmina et Quintiliani libri X caput I.

Dr. Alexander Goette, P. P. O., 1) privatim zoologiam tractabit quinis horis dierum Lunae Martis Mercurii Iovis Veneris h. XI; 2) privatim exercitationes zootomicas quinis horis p. h. moderabitur; 3) privatissime instructiorum studia in instituto zoologico curabit quotidie.

Dr. Reinholdus Heinrich, P. P. E., 1) de nutritione plantarum bis per hebd. disseret; 2) introductionem in chemiam agrariam quater p. h. tradet.

Dr. Gustavus Koerte, P. P. E., 1) Graeciae antiquae topographiam tradet quaternis diebus Lunae Martis Iovis Veneris h. XI; 2) Ovidii metamorphoseon capita selecta interpretabitur ternis diebus Martis Iovis Veneris h. VI; 3) exercitationes archaeologicas privatissime et gratis moderabitur die Lunae horis V—VII.

Dr. Carolus Eberhardus Goebel, P. P. E., 1) phytologiam generalem quinis per hebd. horis diebus Lunae Martis Mercurii Iovis Veneris tradet h. VII—VIII; 2) phytotomiam quaternis per hebd. horis diebus Martis et Veneris docebit h. V—VII; 3) exercitationibus in laboratorio botanico praeerit quotidie.

Dr. Carolus Weinholtz, 1) iuris principia methodo ideistica ex fundamento scientiae generalis enucleabit; 2) de scientiarum fundamentis disseret; 3) conversatorium ideisticum commilitonibus proponit.

Dr. Iulius Robert, 1) privatim quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) privatim historiam litterarum francogallicarum docebit quater p. h.; 3) privatim de variationibus linguae gallicae inde a saeculo XII disseret quater p. h.

Dr. Felix Lindner, 1) privatim bis p. h. capita selecta ex Chauceri „Canterbury Tales" interpretabitur hor. def.; 2) privatissime bis p. h. repetitorium linguae francogallicae recentioris moderabitur hor. def.

Dr. Hermannus Kretzschmar, socios seminarii theologici cantica liturgica docebit.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, **conclave secretarii** officiis destinatum h. XI—XII quotidie patebit, **museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales velut gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur

Fridericus Merkel, Med. Dr.

Praesidet ordini Theologorum **Ludovicus Schulze,** Th. Dr.
Iurisconsultorum **Carolus Birkmeyer,** I. U. Dr.
Medicorum **Friedericus Schatz,** M. Dr.
Philosophorum **Hermannus Paasche,** Ph. Dr.